

06 M



Wissenschaftliche Abhandlung

zu dem

Schul-Programme

über das

Königliche Gymnasium zu Braunsberg

in dem Schuljahre 1869—70.

De Jove Homericō.

Vom Gymnasiallehrer Dr. Winter.

Braunsberg.

Gedruckt bei C. A. Heyne.

1869/70



Wissenschaftliche Abhandlung

Schul-Programme

Königliche Gymnasien zu Braunschweig

in den Schuljahre 1869-70

De Jove Homericis

von Hermann Schindler in Braunschweig

Stadtbibliothek
Chorn

AB 1471

Braunschweig

Verlag von H. W. F. ...

DE JOVE HOMERICO

AC RATIONE, QUAE CUM EO FATUM FUERIT CONJUNCTUM.

¶ **E**t si minime auctoritati obtemperamus Cratetis grammatici, qui eo processit temeritatis, ut Homero omnem posteriorum temporum doctrinam obtruderet vatemque nihil tale suspicantem omnium rerum ipsiusque stoicorum disciplinae peritissimum sibi fingeret¹⁾ tamen negari non potest, Homerum ipsius quod attinet aetatem pro fonte uberrimo esse habendum, ex quo omnium fere artium cognitio optime hauriri possit, quia poeta totius vitae tam publicae quam privatae ac domesticae, in qua omnes artes arcissime inter se cohaerent, imaginem exhibuit.

In eo autem non constitit Homerus, sed etiam in rebus divinis depingendis tantam posuit operam cultumque deorum tanta cura amplexus est, ut quae fuerint suae aetatis de natura deorum opiniones eorumque cum hominibus consuetudine ac necessitudine ex ejusdem poetae carminibus optime cognosci ac perspicui possit. Magni enim momenti in poesi homerica sunt dii, quorum vi, consiliis ministeriis ita est usus poeta, ut nonnunquam deorum potius partes quam heroum res gestas carminibus videatur extulisse, quamquam ad Achillis iram et Ulixidis reditum quum omnia in carminibus pangendis revocaret, cavendum est, ne quis credat, de historia deorum conscribenda Homerum cogitavisse. Quo factum est, ut quum seriem gravissimarum rerum arcissime inter se nexarum arte poetica enarraret, quasi bina in carminibus suis tractaret argumenta, quorum alterum ad mortalium vitam, alterum ad res divinas pertinet²⁾. At quaenam de deorum vi atque natura ipsius Homeri fuerit opinio, ubi inquisiveris, hominum doctorum sententias magnopere inter se discrepare ac plane in diversum distrahi invenies. Nonnulli enim mysteriis eum quibusdam initiatum illius doctrinae res externas tantummodo divulgasse existimaverunt, ita ut ex carminibus ejus cognosci non posset, quales fuissent heroicae aetatis de deorum natura opiniones³⁾.

Alii eum fabulas, quibus ne ipse quidem fidem habuisset, ut carminibus poetico essent ornamento, enarrare contenderunt⁴⁾. Neutra mihi est probata sententia. Nam quod illi dicunt, poetam multa ex industria silentio praeteriisse, tantum abest, ut credam, ut ab epici poetae ratione plane abhorre mihi videatur. Ii vero qui Homerum, ut carminibus suis inesset, quod legentium animos delectaret, fabulas temere composuisse putant, illud non respiciunt, quod Ilias et Odyssea poetica ratione reddere videntur ea, quae vita hominum, qui tum erant, atque ipsa rerum natura obtulerunt, quaeque, licet falsa veris fuerint admixta, sermone hominum memoriae

¹⁾ De Cratete Stoico vid. Wolf, Prol. p. 278 et ejusdem de Homeri indole judicium ibid. p. 42.

²⁾ Cfr. Nitsch, Anmerk. zur Odyssee II., p. 32—64.

³⁾ Cfr. Creuzer, Symb. II., p. 447, 459. III., 182 sq. q. Wachsmuth, Hell. Alterth. IV., p. 94.

⁴⁾ Cfr. Müller, Prolog. p. 317, 321 sqq.

tradita erant. Locus enim ille Herodoti (2, 53) celeberrimus: οὔτοι (Ἡσίοδος καὶ Ὅμηρος) δὲ εἶσιν οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἑλλήσι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπινομίας δόντες καὶ τιμὰς τε καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἶδεα αὐτῶν σημήναντες, quomodo intelligendus sit, jam Terpstra docet his verbis: „quae quidem Herodoti verba non sunt ita accipienda, ut ea omnia Homerum et Hesiodum primos invenisse existemus; his enim repugnant, quae de Orpheo, Musaeo aliisque veterioribus sunt prodita; immo vero fuit Graecis mythologia ante Homeri et Hesiodi tempora: hi vero e populari traditione, quae ad deos pertinent, omnia diligenter relata confirmarunt et ornata auxerunt, ita ut dein fere soli in Graecorum theologia principes haberentur et quasi auctores.“ — Homerus igitur cultum quendam deorum a majoribus traditum recepit deosque depinxit poetica quidem ratione, sed ita tamen, ut popularium opiniones satis accurate sequeretur. Etenim hoc omnino est tenendum, omnium rerum in Iliade et Odyssea narratarum summam non poetae ingenio, sed constanti priscorum saeculorum famae assignandam esse, quum multos mythos aliaque hujus generis breviter tantum perstringat, tamquam in vulgus nota⁵⁾. Atque ita est veritatis studiosus, ut non solum initio utriusque carminis, sed etiam in Il. β, 484 res gravioris momenti enarraturus invocet Musas, quae memoriae subvenirent, his verbis:

Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι, Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι ὑμεῖς γὰρ θεαὶ ἐστέ, πὰρ ἐστέ τε, ἴστε τε πάντα. Neque vero ullum deprehendimus vestigium tam singularis artificii, quo totius Graeciae populos deceptos in suas opiniones pertraxerit poeta, id quod ne fieri quidem potuisse censeo, nisi forte putas, aetatem omnium artium rudem Homeri carminibus a fera vita ad cultum humanum mitioresque mores esse adductam. Hanc autem sententiam si quis probaverit, quamquam minime nego, homines feros allici potuisse dulcedine carminis perpolitum, quum ipsos lapides olim vatium cantibus motos esse traditum sit, tamen prorsus non intellego, quomodo aetas tam rudis illum poetarum principem procreare potuerit. Quae est omnium rerum humanarum conditio, initia artium litterarumque parva sunt atque exigua; homericam poesim adultam ab artis rudimentis longissime abesse jam inde satis apparet, quod sermo Homeri tantopere expolitus est, ut unius ingenio tribui non possit, sed communis quodammodo poetae popularium existimandus sit. Constat enim non omnes Graeciae populos ante Homerum vatibus caruisse, nam

„Vixere fortes ante Agamemnona Multi“
 quorum praeclara facinora Demodocos Phemiosque praedicasse Homerus ipse docet.

Quod igitur contendunt, poetam imperitorum turbae fucum fecisse, et aequales Homeri omni cultu ingenii carentes divinis poetae cantibus aures praebuisse, nihil curo. Dubitari non potest, quin Homerus gravissimus sit auctor heroicae aetatis, ita ut in diis moribusque depingendis natura atque ingenium ipsius poetae ejusque totius aetatis uti in speculo conspiciatur⁶⁾.

⁵⁾ Cfr. Ulrichi, Geschichte der hell. Dichtkunst I., p. 179, 222.

⁶⁾ Optime igitur Ulrichi l. c. „Mit kindlicher Wissbegierde lauscht die homerische Muse allen Tönen und Klängen, die ihr Sage und Geschichte zuführen; mit weit geöffneter Seele nimmt sie den ganzen Strom des äussern Lebens der sie umgebenden Welt auf und lässt ihn in Gesängen und Gedichten wieder hinausströmen. . . . Sein Gesang ist nur wie die allgemeine Stimme der Zeit und des Lebens, das er besingt. Diese völlige Unterordnung seines Geistes, diese innige Einheit seines Ich's und seines Gegenstandes war nur möglich, sobald er in kindlicher Unbewusstheit selbst nichts Schöneres und Höheres kannte, als was Wirklichkeit, was Sage und Geschichte der jugendlich vergrößernden und ausschmückenden Phantasie darbrachten; sobald er nur aufnahm und wiedergab, und sich selbst wie das gleichgestimmte Gefäss erschien, das die ausströmenden Töne und die Klänge des Lebens und der Aussenwelt zurücktönte.“

Iam vero propius ad propositum progressurus, primum ex iis, quae de Jove in Homeri carminibus passim leguntur, breviter exponam, quem locum Juppiter inter ceteros deos obtinuerit, deinde qualis ejus fuerit rerum humanarum gubernatio, ac postremum quae sit natura et vis fati homerici, quoque vinculo cum Jove fuerit illud conjunctum.

I.

Homerus deos in hominum effigiem formavit et regnum Olympium ad humani alicujus regni similitudinem finxit, ita ut quibuscunque voluptatibus homines delectantur, quibusque curis ac sollicitudinibus, doloribus ac cupiditatibus se ipsos commoveri et excitari sentiunt, iisdem deos affici a deorum gravitate alienum non esse putaret, quamquam eosdem deos multis virtutibus bonisque facit mortalibus antecedentes. Corpora enim eorum, humanum modum excedentia, pulcherrima forma praedita neque senectuti neque mortalitati subjecta sunt; eademque feruntur per terras et maria atque aves volantes ventique flamina cursu aequant. Adeo simplices quum essent hominum, qui Homeri temporibus erant, opiniones de diis, mirum videri non potest, quod easdem leges atque instituta, quibus ipsi utebantur ad deos transferre non dubitaverunt. Homerica autem aetate penes unum fuisse summum imperium e poetae carminibus intelligimus, quam optimam civitatis administrandae formam judicabant teste Ulixæ II. β, 204.

*οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἰς κοίρανος ἔστω,
εἰς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνον παῖς ἀγκυλομήτεω.*

Unus igitur summum obtinebat imperium, cui ne ex suo tantum arbitrio regnare videretur, neve imperium iniquum et injustum videri posset, addi solebat senatus sive βουλή γερόντων, ejus tamen potestas ita fuit circumscripta ac definita, ut nec regis voluntati se opponere nec illo invito quidquam perficere nec denique eum unquam ad rationem rerum gestarum reddendam revocare posset. Cujus rei quum multa afferri possint argumenta, ne longus sim in rebus apertis, hoc unum tantum moneo, in Scheria insula Phaeacum praeter Alcinoum, omnium principem, duodecim fuisse reges, qui ab illo mandata accipere dicuntur. Confr. Odys. 9, 390. Itemque in Graecorum exercitu, cui Agamemnon praefuit, senatum quendam fuisse constat. Sed quamvis magna esset regis potestas, nec ulla potentia, ne sua rex persequeretur consilia, prohiberi posset, tamen non adeo fuit absoluta, ut plane illius senatus auctoritatem aspernari posset. Etenim rex cavere debebat, ne in civitate administranda consensu communi careret, neve leges morales, quasi hominibus innatas, violaret ac despiceret. Quam ob rem nonnunquam non solum senatus sed universus populus a rege in contionem vocabatur, non tamen, ut ille, quid cuique de re proposita videretur, quidque consilii capiendum esset, audiret, sed ut omnes regis decreta mandataque acciperent et comprobarent. Contione deinde dimissa, aut silentes nulla mora discedunt, aut, id quod non raro fit, regis decretis assentantur acclamationibus. Quare non injuria rex ἔτι ἀνάσσειν idemque πατὴρ ὡς ἥπιος εἶναι dici potuit.

Haec fere erat civitatum disciplina, qua Homeri aequales utebantur; simili modo civitatem deorum ordinatam constitutamque fuisse, quum ex hominum, qui tunc erant, consuetudine, sua instituta in deos transferendi, conicias, tum ex iis, quae de deorum rebus Homeri carminibus continentur, intellegas. Jovem enim in deorum contione summum obtinere imperium loci docent permulti; cfr. II. 9, 49. πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Od. I., 303. ἔστω νῦν Ζεὺς πρότα, θεῶν ἕπιτος καὶ ἄριστος. Od. ω, 473. ὦ πάτερ ἡμέτερε, Κρονίδη ἕπιτε κρείόντων. II. β, 412. Ζεῦ,

κύδιστε, μέγιστε. Od. δ. 237. Ζεὺς — δύνασαι γὰρ ἅπαντα. Il. β. 669. ἐκ Αἰῶς, ὅσπερ θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσειν. Od. ε, 4. Ζεὺς ὑψιβρεμέτης οὔτε κράτος ἐστὶ μέγιστον aliaque multa.

Propter hanc potentiam quamquam ceteris diis superior erat Juppiter adeo ut jure gloriari posset, se unum plus valere quam ceteros deos conjunctos, tamen more regum mortalium in rebus gravioris momenti deliberandis contionibus quae Jove praeside in Olympo habebantur, omnes dii consentes, qui dicebantur, interesse solebant. Sicut autem Agamemnon, ubi de rebus gravissimis erat agendum, non modo senatum illum (*βουλήν γερόντων*) cujus antea facta est mentio, sed omnes Graecos, quibuscum consilia sua communicaret, in contionem vocavit, sic nonnunquam factum est, ut Juppiter, quicquid fuit deorum dearumque, ut publica haberetur contio (*ἀγορὰ θεῶν* cui opposita est *βουλή* sive *θῶκος θεῶν*) in suas aedes convenire juberet cfr. Il. v, 7. Cujusmodi in contionibus Juppiter sua decreta aperire solet, quique deorum dicto non paruerint, ut quanto ipse omnibus diis superior sit cognoscant, eos se in Tartarum projecturum esse minatur. Itaque legimus quidem (Il. v, 15) Neptunum, ut Jovis consilia exploraret, verba fecisse, et (Il. 9, 31) Minervam, quum Graecis auxilio venire vetita esset, a Jove petiisse, ut illos consilio adjuvare sibi liceret; sed nisi forte contumaciae videtur esse, quod Minerva decreta patris aegre ferens compluribus locis dicit: *ἐγὼ δ' ἀτὰρ οὐ τοι πάντες ἐπαινέομεν θεοὶ ἄλλοι*, ullum deum Jovis voluntati prorsus se opposuisse nusquam memoriae traditum est. Immo vero nisi venia a summo Jove impetrata ipsa Juno in aciem prodire non est ausa, ut Martem fugaret. Namque vires Jovis invictas dii quoque praedicant patremque ac regem verentur. Ut autem reges homericæ ætatis interdum principum sive populi animis temptatis, quid factu opus esset, consilia capiebant, sic rex deorum nonnunquam liberaliter indulgebat precibus Minervæ, quæ suam ipsius aliorumque sententias ad eum deferebat; hæc vero indulgentia, qua pater benignus uti solet erga liberos, speciem quandam necessitatis exprimi, id quod nonnulli viri docti contenderunt, equidem non video. Neque enim Juppiter de dignitate sua discedit, sed quotiescunque necesse esse videtur, rigidissimo utitur imperio, cujus rei in iis, quæ sequuntur, complura exempla nobis occurrent.

Iam quum quomodo Juppiter universo deorum consilio præfuerit, satis appareat, breviter exponam, qua necessitudine cum singulis diis et iis potissimum, qui secundum eum proximos habebant honores, conjunctus fuerit. Quorum in numero ponendi sunt Juno, Minerva, Apollo, Neptunus. Monendum autem est hoc loco, in Iliade deos se præstare alios, alios in Odyssea. Ulixem enim postremum rediturum esse in patriam Juppiter erat pollicitus, quæ res ne perficeretur ut resisteret Minerva, tantum abfuit, ut quam maxime consilio patris faveret; quod Neptunus haud ignorans, quum se frustra huic rei perficiendæ opponere cognosceret, nec quidquam esset, cur Juno infesto animo in Ulixem uteretur, in Odyssea nulla fere dissensione dii distracti sunt. Longe aliter se res habet in Iliade. Nam quum Juppiter Thetidi promississet, se Achillem filium ejus summa gloria ornaturum esse, et hanc ob causam aliquamdiu Trojanorum partibus faveret, inter ipsum et alios deos, qui cum Graecis stabant, exorta est discordia acerrima, nec defuerunt jurgia et contumeliae, quibus immortales mortalium more inter sese utebantur. Quare cuique qui inquit, quales Homerus deos esse existimaverit Iliadem fontem, ex quo hauriat, multo uberiores esse Odyssea, satis apertum est.

In dearum numero dignitate atque auctoritate longe excellit Juno, *πρέσβα* illa *θεά* (Il. v, 721) quæ probe sibi conscia se sororem atque conjugem dei supremi esse (Il. σ, 356) reginam se gerit deorum et primum inter deas sibi vindicat locum. Qua de causa non sine

superbia quadam se dignitate Jovem aequare exclamat, quamquam potentia ab eo se ipsam superari confitetur. Cfr. II. δ, 59.

καί με πρεσβυτάτην τέκετο Κρόνος ἀγκυλομήτης
ἀμφοτέρων, γενεῇ τε καὶ οὐνεκα σὴ παράκοιτις
κέκλημαι. . . .

Atque ob eam rem conqueritur ac Jovi opprobrio vertit, quod cum ipsa non omnia sua consilia communicet:

αἰεὶ (inquit) τοι φίλον ἐστὶν ἐμεῦ ἀπονόσφιν ἐόντα,
χρηπιάδια φρονέοντα δικαζέμεν οὐδέτι πώμοι
πρόφρων τέτληκας εἰπεῖν ἔπος, ὅτι νοήσης.

Ad quod Juppiter eam edocturus respondet:

Noli sperare, omnia mea consilia te esse audituram; quod quidem te scire aequum est, prius nec hominum nec deorum quisquam quam tu comperiet; illud autem, quod seorsum a diis animo concipere voluero, hoc ne tu interroga neve perscrutare. Deinde quum nullo modo Juno ut quiesceret, adduci posset, ira exardescens minas asperrimas adjecit Juppiter sic pergens:

ἀλλ' ἀκέονσα κάθῃσο, ἐμῶ δ' ἐπιπέθεο μύθῳ
μή νύ τοι οὐ χραίσμωσιν, ὅσοι θεοὶ εἰς ἐν Ὀλύμπῳ
ἄσσον ἰόνθ' ὅτι κέντοι ἀάπτους χεῖρας ἐφείω.

Cfr. II. α, 520, 540, 565.

Quibus verbis anxia facta tandem obmutuit. Ubi vero Juno haud ignorans, se Jove inferiorem esse, id quod voluit vi assequi non poterat, more feminarum blandis utebatur verbis, quibus mariti gratiam ac benevolentiam sibi conciliaret, aut ad dolos et fallacias confugiebat, unde haud raro *δολοφρονέουσα* vocatur. Cfr. II. ξ, 197. τ, 96, 487. Non injuria igitur Juppiter queritur, illam ut sua consilia irrita faceret contendere. Jove enim decepto Graecis succurrit, Achilli ut certamini interesset persuasit, atque ut Trojani foedus cum Graecis initum violarent, opera Minervae perfecit. (Cfr. II. θ, 381 sqq. σ, 358, δ, 71.) Quod quum Juppiter animadvertisset, ira excitatus acerbissimis minis in eam invectus est:

γυῖώσω μὲν σφῶιν ὑφ' ἄρμασιν ὀκέας ἵππους
αὐτὰς δ' ἐκ δίφρον βαλέω, κατὰ θ' ἄρματα ἄξω.

Cfr. II. θ, 402 sqq. Ejusmodi minis deterrita Juno, quum se contra Jovis potestatem nihil valere intellexeret, plerumque ab incepto destitit; revera autem poenas ab ea repetivisse Jovem nusquam, excepto illo loco, qui legitur II. ο, 18. invenias. Aliam vero viam qua majore vi ac successu mariti consiliis resisteret regina deorum nonnunquam ingressa est. Saepe enim cum Neptuno et Minerva, ut eorum opera id quod ipsa nec vi nec fraude adipisci poterat, assequeretur, conjunctam invenimus. Neptunus enim, ut ad eum transgrediar, qui non minus quam Juno infesto erat in Trojanos animo, quod Laomedontis perfidiam nondum oblitus erat, Jovi superbiam et arrogantiam ausus est exprobari, atque ejus consilia, utpote quibus modum potestatis excederet, impedire conatus est. Qui quamvis illum omnibus diis praestantiorum esse concedat (cfr. II. θ, 210) tamen quum ab Iride, quam Juppiter ad eum miserat, e pugna proelioque discedere juberetur, Jovis superbiam aegre ferens se pari honore atque illum esse gloriatus est; sibi enim maris imperium, Jovi coeleste regnum sorte evenisse et Plutonem apud inferos imperare; terram vero omnibus esse communem. (Cfr. II. ο — 168—200) Verumtamen Iridi obsecutus est his verbis eum admonenti:

Οἷσθ', ὡς πρεσβυτέροισιν Ἑρινύες αἰὲν ἔπονται.

Idem deus, qui sua potentia concussit terram, ut montes tremefierent, et Pluto ne terra diffinderetur, timeret, Jovem, qui eum ipse *προεβύτατον καὶ ἄριστον* deorum profiteri non dubitavit, summa affecit verecundia et praestitit ei officia, quibus se Jove inferiorem esse satis ostenderet. Juppiter enim, ut exemplum afferam, quum ab Ida monte ad Olympum vectus esset, equos ejus solvisse currumque in suggestibus posuisse dicitur Neptunus.

Aliquanto vero plures quam cum fratre Jovi fuisse videntur difficultates cum Minerva, filia amata. Haec enim una est, quam nonnunquam in concilio deorum Jovi restitisse legimus. Atque si id quod cupiebat, a patre impetrare non potuit, nullis in eum conviciis pepercit, vel praesentem increpare non ausa, in absentem eo licentius opprobria fudit cfr. II. 9, 360.

*ἀλλὰ πατήρ οὔμος φρεσὶ μάλινται οὐκ ἀγαθήσιν
σχέτλιος, αἰὲν ἀλιτροῦς ἐμῶν μενέων ἀπερωεύς.*

Quam licentiam quum carae filiae Juppiter indulgeret, eo audaciae progressa est, ut Graecis, jam Hectori ipsique Marti cedentibus, auxilium lactura patris indueret lorica et Jovis ipsius armis usa tonaret fulminaque emitteret, qua in re adjuta est ab Junone. Cfr. II. ε, 735. 9, 387. λ, 45. Quam ob rem quum Mars Jovem reprehenderet quod nunquam Minervae licentiam coerceret eique omnia indulgeret, Juppiter respondit, eum sibi odiosissimum omnium deorum esse, quod semper belli gerendi cupiditate flagraret. Cfr. II. ε, 890. Sed non solum hujus dei querelas Venerisque exprobrantis, quod Minervam bello interesse dedeceret, rejecit, sed etiam alias filiam paterno amore commotus ab aliorum deorum opprobriis defendit. Veruntamen acrius interdum resistantem se puniturum esse minatur. Quum enim Jove invito Juno et Minerva in pugnam se contulissent, deas a certamine revocavit atque acerbissima deterruit oratione, in qua extrema dixit haec:

*οὐδέ κεν ἐς δεκάτους περιτελλομένους ἐνιαυτοῦς
ἔλκε' ἀπαλθήσεσθον, ἄκην μάρπησι κεραυνός·
ὄφρ' εἰδῆ γλανκῶπις, ὄν' ἂν ᾗ πατὸρ μάχηται.*

Cfr. II. 9, 404. His maledictis attonita tunc quidem tacuit Minerva, sed jam antea patris iram cito defervescere satis experta Junoni dixerat, (II. 9, 373) se in patris gratiam redituram et tempus non defore, quo Juppiter ipsam *φίλην Γλανκώπιδα* appellaturus esset. Persuasum igitur ei fuit, paterno amoris odium paullo post cessurum, seque ipsam officii neglecti veniam esse impetraturam. At si quaeritur, quid sit, cur quotiens filia peccet, totiens in patris gratiam recipiatur, hoc maxime tenendum est, eam ex patris ipsius capite natam i. e. Jovis potentiam quandam ab ipso esse sejunctam. Mentem igitur quasi ex se dimisit pater, quum quod patrio animo placuit, menti saepe perpendenti non probaretur. Etenim qui mente utitur, rectius de rebus propositis solet judicare, quam qui animi sententiam sequitur, unde fieri potuit, ut saepius mens Minervae cum Jovis animo pugnaret, atque ut animus cederet menti sive pater filiae indulgeret⁷⁾.

Sed non omnibus in rebus patrem filiamque dissentire ac discedere quum rei natura docet, tum gravissimo documento est tota Odyssea. Maxime enim cum Jove consensit Minerva in Ulixae protegendo, qui ut perpeccus tot calamitates, quibus Neptunus eum persecutus est, tamen decimo anno quam Troja esset expugnata, incolumis in patriam rediret, summa ope nisa est. Eadem Herculi, Eurysthei laboribus saepius defatigato, quum lacrimans coelum precibus adiret, Jove auctore Minerva Olympum reliquit, quae filium ejus adjuvaret (cfr. II. 9, 364). Qua in concordia Jovis filiaeque Minervae summam positam esse potestatem inde maxime apparet, quod

⁷⁾ Cfr. Naegelsbach, Hom. Theologie p. 100 seq.

ambo dii haud raro conjunctim commemorantur atque precibus adeuntur; cfr. Π. 9, 287 *αἴ κέν μοι Ζεὺς δώη τ' αἰγίοχος καὶ Ἀθήνη*; Odysse. π, 26 ο. καὶ φράσαι εἶπεν νόϊν Ἀθήνη σὺν Διὶ πατρὶ ἀρκέσει; Od. v, 42. εἶπερ γὰρ κτείναμι Διὸς τε σέθεν τε ἔκμη, et penes eos summum esse imperium conspicue dicit Telemachus. Od. π, 263 sqq.

ἔσθλω τοι τούτω γ' ἐπαμύντορε, τοὺς ἀγορεύεις
ἔψι περ ἐν νεφέεσσι καθήμενω ὅτε καὶ ἄλλοις
ἀνδράσι τε κρατέουσι καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσιν.

Praeterea non solum Homerus Minervam inter gravissimos et potentissimos numerat deos, a quo ὄβριμοπάτηρ et Διὸς θυγάτηρ κνδίστη Τριτογένεια aliisque nominibus ornatur, quibus summa ejus potestas exprimitur, sed etiam omnes fere et graeci et latini poetae eam tota antiquitate potentissimam deam habitam esse docent; cfr. Hesiod. Theog. 896, ubi dicitur ἴσον ἔχουσα πατρὶ μένος καὶ ἐπίφρονα βουλὴν; idem dicit Horatius Od. I, 12, 19.

„Proximos illi (Jovi) tamen occupavit Pallas honores.“

Minerva igitur in Odyssea quum quod pater decreverat, idem ipsi placeret, Jovi omnibus in rebus maximo fuit adjumento; quod ne in rebus troicis, quae in Iliade enarrantur, fieret, utriusque dei condicio impedivit, quum aliquamdiu alter alteri faveret parti. Quam ob rem, quum Jupiter se hominum certamini interesse a majestate sua alienum esse censeret (Π. v, 21 sqq.) in iis quae voluit exsequendis, Apolline usus est adjutore, quem pietatis semper memorem arcissimo cum patre vinculo conjunctum eamque ob causam Διὶ φίλον appellatum esse constat. Quod autem nusquam legimus, Apollinem qui eodem ac Minerva erat honore, potestate sua abusum esse, ut Jovis consiliis resisteret, tenendum est, hunc deum patris decreta sive θεμίσιαι rerumque eventus ex ejusdem animi sententia mortalibus indicasse. Omne enim μαντικῆς sive divinationis genus, quod versatur in ostentis, auguriis, prodigiis, oraculis ad Δία πανομοῦνον referendum est; Apollo autem a patre edoctus sortes edere optimus augur putandus est. Homines igitur docet artem vaticinandi atque idoneos reddit ad cognoscendas res et praeteritas et futuras, perspecta eorum natura, quae in praesentia fiunt. Sic Calchanti et Amphiarao μαντοσύνην detulisse dicitur, quamquam in hoc quoque munere deferendo Jovis vis perspicitur. Quo factum est, ut posterior aetas Apollinem Διὸς προφήτην celebraret et patrem filio majorem extolleret. Cfr. Aesch. Eum. 17. Soph. Oed. Col. 792.

Quae quum ita sint, in rebus gravissimis, in precibus ac jurejurando hi tres potissimi atque arcissime inter se conjuncti dii una invocabantur, unde sollemnis illa exstitit invocatio:

„Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἀπολλων.“⁸⁾

Vidimus igitur, Minervam et Apollinem Jovi ad ea quae voluit perficienda optimos fuisse ministros; eodem modo ceteri dii, quibus certa quaedam munera tradita sunt administranda, Jovis voluntati obsequuntur et dicto sunt audientes. Mercurius enim mandatis ejus acceptis ab Olympo descendit nec modo quid Jovi placuerit sed etiam viam ac rationem, qua illud optime

⁸⁾ Quae conjunctio illorum deorum quid significet, audiamus pulcherrime exponentem Naegelsbachium (Hom. Theol. p. 106:)

„In dieser Formel, in welcher das hellenische Gottesbewusstsein vielleicht das Tiefste beschlossen hat, was ihm in eigener Ahnung oder durch Ueberlieferung zu Theil geworden ist, erscheint der höchste Gott als solcher nur in Verbindung mit den ihm inhärenten Erzeugungen — in der persönlich substantiirten μῆτις und dem Verkünder ihrer Satzungen —, in welchen er seines eignen Wesens Vollendung gefunden hat.“

et facillime perfici possit, solet indicare. Itaque Ulixi ad Circes aedes ituro, quomodo se illius venenis defendat, hic deus ostendit. Cfr. Od. α , 277. Atque Priamum Graecorum castra petentem ipse comitatur, quo certius Jovis decreta perficiantur. Iris vero, quid faciendum sit simpliciter indicat, nec nisi uno loco (Il. σ , 200.) rei exsequendae rationem demonstrat. Themis denique, quae Homeri tempore nondum justitiae dea culta sed Jovis famula fuisse videtur, illo jubente omnes deos deasque quibus aditus ad conciones deorum publicas patebat, in Jovis palatium summo in Olympo a Vulcano aedificatum convocat; nec quisquam deorum est, qui se esse venturum neget. Cfr. Il. ν , 4. Od. β , 68.

At vero jam de his, quae ad summum in deos imperium Jovis pertinent, satis mihi dicta esse videntur; Jovem enim summum esse deum potentiaque ejus nihil esse majus et ipsi dii profitentur qui maximis secundum eum fruuntur honoribus, atque praeterea inde apparet, quod pater deorum non solum toti Olympo deorumque concilio praest, sed nonnunquam etiam ea sibi vindicat jura, quae proprie aliis diis sunt addita. Quin etiam ad eum tamquam ad summum rerum moderatorem saepius referuntur, quae aliorum deorum opera sunt perfecta. Cfr. Od. ϵ , 176. σ , 297, 475. ϵ , 304. Atque quum ceteri dii non possint nisi ubi adsunt agere, ipse in summo monte considens certamina hominum deorumque prospicit ridensque *πολυπραγμοσύνην* deorum acie decertantium regit ex suo arbitrio fata et hominum et populorum. Cfr. Il. θ , 47. ψ , 385 sqq. Quare Juppiter a ceteris diis summo afficitur honore; in concionem deorum prodiens honorificentissime excipitur: omnes e sedibus suis adsurgunt atque salutaturi ei obviam procedunt. Cfr. Il. α , 533.

Ex his omnibus, quae modo dixi satis apparet, Jovem non modo omnium deorum longe potentissimum ac supremum esse existimatum, sed ne unius quidem ac solius dei suspicionem ab illius aetatis indole plane alienam fuisse⁹⁾.

II.

Jam qualis Jovis naturae atque rerum humanarum gubernatio fuerit paucis exponam. Jovem patrem deorum atque hominum non propterea appellari, quod genuerit deos hominesque, sed quod paterno in illos utatur imperio atque rerum humanarum curam agat, quum veteres docent auctores, tum tota Ilias et Odyssea confirmant. Omnibus enim diis et Jovi potissimum, supremo deo, res humanas curae fuisse permultis locis demonstrat poeta; cfr. Il. α , 218, 290. β , 599 sq. ω , 428. Od. γ , 28, 269. δ , 7, 12, 351 sqq. η , 242. θ , 410. ν , 41, 42. ρ , 119. ψ , 286. Od. θ , 325. (*δωτηῆρες εἰών* qui bona dant) Od. σ , 112.

*Ζεὺς τοι δόην ξείνην καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι
ὄντι μάλιστ' ἐθέλεις —*

Conferantur mortalium de Jove judicia Od. δ , 236:

. . . ἀτὰρ θεὸς ἄλλοτε ἄλλω

Ζεὺς ἀγαθόν τε κακόν τε διδοῖ δύναιται γὰρ ἅπαντα.

⁹⁾ Cfr. Friedrichs Real. in d. Il. u. Od. p. 631. „Auf ihn (Zeus) reduzierte sich Alles, und diese Anschauungsweise lässt einen inneren, aber noch nicht zum klaren Selbstbewusstsein gekommenen Drang nach Monotheismus mitten im Polytheismus erkennen.“

Π. ν, 631.

Ζεῦ πάτερ ἦ τέ σέ φασι, περὶ φρένας ἔμμεναι ἄλλων
ἀνδρῶν ἠδὲ θεῶν.

Cfr. etiam vit. Homeri: *πεποίηκε δὲ τοὺς θεοὺς ἀνθρώποις ὁμιλοῦντας . . . ὅτι κήδονται καὶ οὐκ ἀμελοῦσι τῶν ἀνθρώπων οἱ θεοί.*

Maxime vero Jovem ipsum agere rerum humanarum curam inde cognoscas, quod in limine ejus posita sunt duo dolia, ex quibus pater deorum hominumque sua cuique bona et mala impertire putabatur. Cfr. Π., ω, 527. Idem testatur locus hic in Od. ο, 488:

ἀλλ' ἦ τοι σοὶ μὲν παρὰ καὶ κακῷ ἔσθλον ἔθρηκεν
Ζεὺς . . .

Eadem de causa Preces sive *Αἰταί* et Horae ejus filiae esse dicuntur. Cfr. Π. ι, 502. Od. ω, 344. Π. β. 668 sqq. ι, 686. ω, 291. Od. β, 34. γ, 160. δ, 34. ο, 112. π, 117.

Itaque quum totum orbem terrarum ac res gravissimas vitae humanae mente ac cura amplectatur, ad eum nuptiae partusque referuntur. Cfr. Od. δ, 207:

. . . . ᾧτε Κρονίων
ὄλβον ἐπικλώσῃ γαμέοντί τε γεινομένῳ τε.

Cfr. Π. π, 187. ν, 103.

Jam corporis et animi dotes omnes et virtutes ab eo proficiscuntur; nautis secunda et tranquilla navigatio, praeda venatoribus tribuitur. Neque minus totus rerum humanarum ordo, leges juraque ab eo ducuntur; reges qui sunt in singulari ejus tutela (*διοτρεφέες*) sceptrā juraque sua, ut leges exercerent, a summo rege accepisse (Π. β, 206) dicuntur. Ipse est moderator bellorum ab hominibus gestorum (Π. δ, 84. τ, 224 *ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο* Π. ρ, 339. *ὑπατος μῆστορ, μάχης ἐπιτάροθος*) atque praecones, qui hostibus bellum indicebant, populum in contionem convocabant et quidquid ad sacra pertinuit comparabant, Jovi cari sunt, quam ob rem *Αἰ φίλοι* et *Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν* appellantur. Cfr. Π. η, 517, 274. Itaque quum omnes res humanae Jovi tantopere sint curae, et praeterita et futura habet explorata ac res futuras mortalibus saepe indicare solet. Ipse enim antiquissimo illi oraculo Dodonaeo (*Ζεὺς Δωδωναῖος* Π. π, 233.) praefuit ac Delphis Apollo filius, quem patris decreta exsequenda saepius curare in Iliade legimus, Jove auctore oracula dedit. Quae res, cujus tanta erat vis in hominum animos, ut ostentis oraculisque summa regerentur consilia, quin plurimum ad hominum mores, leges atque instituta tuenda valuerint ob eamque rem maximi fuerit momenti quis est qui dubitet? Homerus enim ipse confirmat multaque apud eum exempla occurrunt, unde patet, divinationem ad vitam prudenter instituendam quam plurimum valuisse. Quae quum ita sint, nemo deorum ab hominibus, quorum studia ac vota in diversissimas partes discedunt, saepius precibus invocatur quam Juppiter. Cfr. Π. β, 412. γ, 350. μ, 164. ο, 372. ψ, 273. ω, 301. (*ἔσθλὸν γὰρ Αἰ χεῖρας ἀνασχέμεν, αἶ κ' ἐλεήσῃ*) Od. η, 331. ο, 353. ρ, 354.

Verum enimvero tantum abest, ut, cui nunc benigni sunt dii ac favent, in eum semper beneficia afferant, ut omnibus fortunae inconstantia et mutatio sit timenda; nihil enim obstat, quin quae tribuerunt bona rursus reposeant. Quod Ulixes apud Alcinoem regem quum pristinarum divitiarum mentionem fecisset, confirmat his verbis: Od. ρ, 424.

ἀλλὰ Ζεὺς ἀλάπαξε Κρονίων ἠθέλε γάρ ποιν.

Ipse autem pater deorum homines credere dicit, sicut omnia bona, ita etiam quibus premerentur mala a diis proficisci, *ἔξ ἡμέων*, inquit, *γάρ φασι κακ' ἔμμεναι*. Od. α, 33. Idem significant Ulixis verba. (Π. ξ, 85.)

οἷσιν ἄρα Ζεὺς
 ἐκ νεότητος ἔδωκε καὶ ἐς γῆρας τολυπεύειν
 ἀργαλέους πολέμους ὄφρα φθίομεσθα ἕκαστος.

Omnes igitur clades et calamitates, quibus et populi, Graecos dico et Trojanos, et singuli homines sunt affecti, a Jovis consilio repetendas esse in ipso Iiadis limine indicat Homerus his verbis:

„Διὸς ἐτελείετο βουλή“ et laborum, qui in Odyssea enarrantur, series ab Jove auctore ordinatur. Neque minus mors, ultimum malorum, ab eodem deo in homines immittitur, quod poeta aperte docet II. ζ, 365:

κῆρα δ' ἐγὼ τότε δέξομαι, ὅποτε κεν δῆ
 Ζεὺς ἐθέλη τελέσαι . . .

Cfr. Od. σ, 155. γ, 242. ν, 360. ν, 67.

A diis igitur et maxime quidem a Jove hominibus bona et mala impertiuntur, sed ita, ut pro suo quemque merito aut praemiis aut poenis afficiat. Morum enim pietatem atque integritatem honorat, acerbissime autem in eos animadvertit, qui superbia et insolentia (ὑβρι) animi ducti, quam omnibus temporibus fontem plurimorum malorum Graeci existimaverunt, opibus suis ac viribus fidunt verecundiaque in deos contempta, iram deorum in se convertunt. Idem docet Homerus multis locis; cfr. Od. ξ, 83:

οὐ μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν
 ἀλλὰ δίκην τίουσι καὶ αἴσιμα ἔργ' ἀνθρώπων

et Od. γ, 132:

καὶ τότε δῆ Ζεὺς λυγρὸν ἐνὶ φρεσὶ μῆδετο νόστον
 Ἄργείοις· ἐπεὶ οὐτι νοήμονες οὐδὲ δίκαιοι
 πάντες ἔσαν

et Od. ν, 213:

Ζεὺς σφας τίσαιδ' ἔκετῆσιος ὅστε καὶ ἄλλους
 ἀνθρώπους ἐφορᾷ, καὶ τίννται ὅστις ἀμάρτη.

Quum autem homerica aetate pauca legibus nec scriptis essent custodita, multa ex hominum libidine viderentur pendere, ne vis fieret moribus, quibus civitatis salus nitebatur, ad Jovem ultorem crimina ea referebantur, quae judiciis non poterant coerceri. Itaque quum a procorum turba et casta conjux et regiae opes Ulixis contra fas ac jus peterentur, domus ab epulantibus diriperetur, Telemachus precibus adhibitis deorum misericordiam, Jovis iram ultricem imploravit filioque jubente mater infelix vovit victimas se omnibus diis daturam, si Juppiter ulcisceretur procorum insolentiam cfr. Od. β, 143, ρ, 95. Eadem de causa Juppiter acerrimo odio saevit in eos, qui in foro injuste exercent judicia cfr. II. π, 386. atque prae ceteris diis jurisjurandi sanctitatem tuetur, quam si quis violaverit, eum gravissimis persequitur poenis; cadavera perjuratorum sepulturae honore orbata projiciuntur alitum praeda; uxores ipsae ac liberi puniuntur. Cfr. II. 161, 164, 236 sqq. Etiam Erinnyes sub terris scelus perjuratorum ulciscuntur et dii, qui Titanes vocantur, in Tartaro cum Crono vitam agentes, perjurii poenas ab iis exigunt. Cfr. II. π, 258. ξ, 275.

Neque minus Jovi curae sunt hospites, mendici supplicesque (cfr. Od. ζ, 207: πρὸς γὰρ Διὸς εἶσιν ἅπαντες ξεῖνοί τε πτωχοί τε) atque injurias illis illatas ulciscitur. Cfr. Od. ν, 478:

ξείνονς οὐχ ἄζεο σῶ ἐνὶ οἴκῳ
ἔσθήμεναι τῷ σε Ζεὺς τίσατο καὶ θεοὶ ἄλλοι

ibid. ξ, 283. II. ν, 623. Od. ν, 213.

Ut vero rebus publicis sic etiam rebus domesticis praeest, quare Zeus *ἐρκεῖος* appellatur, quia mediis in aedibus ei ara (*Διὸς μέγαν βωμόν*) erat sacrata, apud quam pater familias pro domus incolumitate sacrificare solebat, nec non in libationibus, quibus quotidie usi esse videntur, (cfr. Od. θ, 431. II. η, 480) primum locum assignant Jovi cfr. II. ζ, 259:

ὡς σπέειγς Αἰὸ πατρὶ καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν.

Quibus omnibus in muneribus exercendis et publicis et privatis ne supremo deo consilium sapientiaque deesse videretur, summa ei attributa est providentia — cfr. Od. ξ, 243. *μητίετα Ζεὺς*. II. ρ, 399. *ὑπατος μήστωρ*. II. ν, 461. *Διὸς πυκινὸς νόος*. II. ω, 88. *ἄφθιτα μῆδεα εἰδώς* — atque ab hominum querelis et opprobriis, aerumnas et mala proficisci a diis, se defendit dicens, ipsos homines esse in culpa, qui sanctitate morum violata ac scelere sceleri addito mala permulta fato invito sibi contrahant (Od. α, 33.) quibus verbis nihil aliud dicit nisi se in rebus humanis moderandis paterno quidem sed etiam justissimo uti imperio. Hanc fuisse opinionem illi aetati probatam ex rebus in Iliade et Odyssea narratis satis evidenter elucet. Odysseae quidem totum argumentum sine ulla dubitatione confirmat, a diis suae cuique tribui pretium virtuti ac poenas expeti a nefariis, id quod jam initio Odysseae α, 33 ex Jovis verbis modo allatis apparet¹⁰).

Nonnullis igitur exemplis ex Iliade petitis exponam, quamvis alii dii alia consilia sequantur, tamen summam rerum Jovis unius auctoritate ac justitia administrari. Nam quum Paris Helena rapta jus hospitii violasset, ob eamque rem belli a Graecis suscepti causa esset justa, a Paride poenas meritas sumere ac Graecis victoriam concedere Jovi bellorum summo moderatori placuit; huic enim prae ceteris diis Trojae excidium attribuitur, (II. δ, 160 sq. ν, 625 *Ζηρὸς . . . ξεινίον, ὅς τε ποῖ ἔμμι διαφθέρσει πόλιν αἰπὴν*) quod, ut supra vidimus, *ἐρκεῖος, ξεινίος, ὄρκιος* appellatur arcesque urbium diruere dicitur cfr. II. β, 117. ι, 24. Od. τ, 80. Idem e Junonis quoque verbis apparet, quum in illo de Trojae excidio colloquio simpliciter ac perspicue Jovem, si vellet, Trojam posse servare diceret. Cfr. II. δ, 26. Paris vero ipse ob injuriam Menelao illatam ab omnibus Graecis et Trojanis, quibus Menelaus ob illius nefandum scelus Jovis *ξεινίον* iram minatus est, una voce maximeque ab Hectore fratre reprehenditur. Hic enim colloquens cum Hecuba matre (II. ζ, 282) utinam, inquit, confestim terrae hiatus hauriat Paridem, quem Juppiter Trojanis, Priamo ejusque liberis maximo detrimento esse voluit; qui si ad inferos descenderet, animus meus in gratissimas aerumnas oblivisceretur. Et praesentem ipsum ob multos illo auctore Trojanis illatos labores molestiasque ira excitatus ita alloquitur:

Δύσπαρ', εἶδος ἄριστε, γυναιμάνες, ἠπεροπενιά,
αἴθ' ὄφελος ἄγονος τ' ἔμμεναι ἄγαμος τ' ἀπολέσθαι

et II. γ, 56:

ἀλλὰ μάλ'α Τρωῶες, δαιδήμονες ἢ τέ κεν ἦδη
λαῖνον ἔσσο χιτῶνα κακῶν ἔνεχ', ὅσσα ἔοργας

quibus fratris conviciis quum Paris quod opponat non habeat, haud immerito se a fratre increpari confitetur:

¹⁰ Ad hunc locum Nitsch (Anm. zur Odyssee p. 11.) optime adnotat: „Hier kündigt sich sogleich der sittliche Geist der Odyssee an“ et paullo inferius. „Unverkennbar waltet in der Odyssee . . . die Idee einer göttlichen Gerechtigkeit mehr vor, als in der Ilias, . . . ja sie beherrscht das Ganze.“

Ἐκτορ . . με κατ' αἴσαν ἐνείκεσας, οὐδ' ὑπὲρ αἴσαν.

Cfr. Il. γ, 320, 453. quo referenda est Paridis descriptio Il. ω, 39. Nee vero eum solum fuisse in culpa, sed Trojanos aliqua ex parte societatem sceleris habuisse inde cognoscitur, quod Antimacho imprimis auctore, quem auro corruptum esse dicunt, Helenam se reddituros esse negaverant. (Cfr. Il. λ, 123 sqq.) Nemo enim Trojanus, qui ut fieret quod justum atque aequum erat, operam daret, inveniri poterat. Illi autem Paridis sceleri adjungitur foederis violati facinus, quod omnes Trojani, quum Pandarus foedus a Priamo sancitum telo demisso contra jus violasset, in se admiserant. Illud enim non offendit animum, quod Junone suadente Minerva ipsa Pandarum ut primum telum emittat, impellit, quamquam re non satis perspecta putari potest, deum, qui homines ad scelera committenda perducatur, indignum esse hominum veneratione. At vero tantum abfuit, ut astutia quaedam et simulatio a Graecorum natura abhorrerent, ut quum optimo cuique tum diis maximeque deo supremo attribuerentur. Nam neque Agamemnon neque Ulixes simulatione et callidis astutiis abstinerunt et dummodo quod cuperent impetrarent, ad quaecumque agendi rationem confugerunt. Et quis est qui non recordetur de Mercurio, a quo Autolyceum furandi perjurandique facultatem accepisse docet Homerus Od. τ, 396. Cfr. Il. ω, 389.

At vero si quaerimus, quomodo fieri poterit, ut Juppiter in consiliis Junonis et Minervae exsequendis conniveret, id respiciendum est, quod hoc tantum modo praestare potuit, quod Thetidi promiserat. Denuo igitur certamine exardescente, postquam res Graecorum in summum discrimen adducta est, atque Achilles maximam sibi gloriam comparavit, Troja expugnatur. Cujus rei perficiendae sicut spes in Jove erat posita, ita etiam operis perfecti gloria in eum conferebatur. Inique vero et indigne de Jovis gubernatione rerum humanarum sentiret, qui quod Juppiter in colloquio cum Junone habito (Il. δ, 37 sq.) ut uxoris iram et rixam effugiat, se Trojae excidio obfuturum non esse simulat, serio dictum esse putaret. Non enim immerito *Κρόνον παῖς ἀγκυλομήτεω* appellatur. Huc accedit, quod Juppiter ipse initio colloquii illius (Il. δ, 5 sq.) verba sua ita, ut Junonis iram incitaturus videatur esse, componat, quodque rem accuratius deliberandam proposuit, cujus qualis futurus sit eventus haud ignorat. Id autem ipsum, quod re vera fiebat, admirabili quadam calliditate agebat, ut deae Graecorum partibus faventes quid fieri vellent enuntiarent; jam enim suo beneficio et obsequio non solum Junonem sibi obstrinxit, sed etiam sibi ipsi opportunam admodum Achillis gloriae praedicandae fecit potestatem, qui ne laude sua privaretur certamen renovari opus erat. Omnes igitur illae vicissitudines fortunae, clades et calamitates, quibus id effectum est, ut Trojani ob injuriam Menelao illatam Jove annuente poenas persolverent et desiderium irati Achillis notaeque ejus virtutis in Graecorum animis excitaretur, honosque inde et gloria in juvenem, quem maxime praedicandum sibi proposuit poeta, redundaret, a Jovis consilio repetendae sunt; nam *Διὸς ἐτελείετο βουλή*. Cfr. Od. θ, 81:

τότε γάρ ῥα κλίνδετο πῆματος ἀρχή

Τρωσί τε καὶ Δαναοῖσι Διὸς μέγαν διὰ βουλὰς

et Il. ρ, 408. ad dei magni νόημα fata Achillis referuntur:

πολλάκι γὰρ τότε μητρὸς ἐπέυθετο νόσφιν ἀκούων

ἧ οὐκ ἀπαγγέλλεσκε Διὸς μέγαλοιο νόημα.

Tota igitur hominum vita quum deorum ac Jovis potissimum providentia temperetur, futuraque omnia in eorum potestate ac voluntate posita esse credantur — *θεῶν ἐν γούνασι κείται* — miseris hominibus hoc maxime est enitendum, ut gratiam ineant a diis, qua conciliata vitam beatam securi degant. Itaque quod summi dei veneratio cum timore conjuncta animis

mortalium est innata, precibus adeunt deos iisque sacrificia offerunt, Jovis seorsum mentionem facientes, ubi deos invocant. Nam Jovem potentissimum esse supra vidimus; cui potestati in status fulmen illud, quod dextra tenet atque irato animo in scelestos homines demittit, respondere videtur, unde saepe *ἀστεροπητής, τερατιέφανος, ὑπιβρεμέτης, ἐρίγδοντος πόσις Ἥρης* nominatur. Aegide autem, quam gerens fingitur (*αἰγίοχος*) concussa tempestates et procellae oriuntur caliginosaeque nox offunditur montibus.

Quae quum ita sint, in Jovis specie ac forma inest divina illa majestas, quae supremum regem indicat: in vultu atque habitu corporis, in crinibus conspicuis oculisque fulgentibus, in ipso denique nutu residet gravitas, auctoritas, imperium, cui admirabili modo admixta est benignitas quaedam. Cfr. II. v, 3. η, 17, 209. α, 528:

ἦ καὶ κτανέησαν ἐπ' ὄφρ' οἶα νεῦσε Κρονίων·

ἀμβρόσια δ' ἄρα χεῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος

κρατὸς ἐπ' ἀθανάτοιο μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὀλυμπιον

qui versus animo oculisque Phidiae, summi artificis, obversati esse dicuntur, quum Jovis Olympii statuam auro eboreque componeret et simulacrum illud effingeret, quo nullum neque pulchrius neque clarius omnis antiquitas vidit.

III.

Jam vero ad tertiam commentationis progredior partem, quae in fato homerico versatur, quaeque eo gravior ac difficilior mihi esse videtur, quia diversas ac plane contrarias sententias de hac re viri docti proposuerunt. Multi enim jam multa de fato scripsere et inde ab Harlesio et Riccio usque ad Naegelsbachium, qui recentiore tempore eandem instituit quaestionem, et fusius res divinas, quae Homeri carminibus continentur, tractavit, alius aliam de fato sententiam amplexus est. Harlesium, qui contra Riccium demonstrare studuit, Jovem fato inferiorem esse (cfr. Harl. op. var. arg. p. 387—447) secutus est, ut alios omittam, Ulrici¹¹⁾.

Naegelsbachius eandem fere sententiam probavit, quamquam plurima affert argumenta, quibus fatum idem atque Jovis decretum significare evicit; veruntamen nonnulli alii loci ei demonstrare videntur, fatum numen esse Jove superius, ita ut Homerum ipsum existimet de fati natura dubium fuisse.

Plane in contrariam sententiam abierunt Langius¹²⁾ et praeter omnes Nitschius¹³⁾. Equidem autem, si omnia quae de Jove ejusque rerum humanarum gubernatione disserui, animo revolve ac perpendo, illorum virorum sententiam fatum esse Jove superius, probare non possum, praesertim quum omnibus locis, quibus *μοίρας* est mentio facta ab Homero, collectis et inter se comparatis multae rationes me commoveant, ut ab illis dissentiam atque iis accedam, qui omnia, quae ad rerum humanarum gubernationem pertinent, ad Jovem auctorem referunt atque ab ejus consilio et voluntate repetenda esse voluerunt. Causae enim, quas ad illam sententiam probandam afferunt, qui fatum

¹¹⁾ Gesch. der hell. Dichtkunst, p. 187, ubi haec leguntur: „Das Persönliche, Besondere ist überall lebendiges Prinzip des Irdischen und Himmlischen und nur das Fatum, in unerforschliches Dunkel gehüllt, erscheint schon bei Homer über Göttern und Menschen in unpersönlicher, Alles umfassender Grösse und in's Unendliche verschwindender Gestaltlosigkeit.

¹²⁾ Einl. in das Studium der griech. Mythologie p. 100.

¹³⁾ Anmerk. zur Odyssee I. p. 178 sq.

apud Homerum regnare dicunt, num verae sint et firmae valde dubito. Quod enim dicunt homines homericæ ætatis ob eam rem ad fatum confugisse, quod, quum Jovi a poeta non absolutæ sed permagnæ tantum virtutes tributæ essent, defuisset iis numen absolutum et ex omni parte expletum, ad quod principia rerum referrentur, id pro argumento probabili habere non possum. Quid enim! nonne deos atque ipsum Jovem hominum similes esse statuit Homerus? Ipse enim Juppiter aliquando natus est et quid sit faciendum nonnumquam more hominum deliberat, quamquam uno loco (Il. τ, 223) absolutus quodammodo in cogitando esse videtur. Huc accedit, quod nonnumquam decipi poterat; eo enim ignaro, ut exemplum afferam, Iris a Junone ad Achillem nuntia mittitur (Il. σ, 166) quamquam aliis locis de eo prædicatur:

τόνπερ ἄριστον

ἀνδρῶν ἠδὲ θεῶν φασ' ἔμμεναι

et ὅς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ὑπακούει.

Adducor autem ut credam, hanc imperfectam deorum naturam homines, quippe qui ad hominum similitudinem deos esse voluerint, non animadvertisse neque iis defuisse numen omnibus numeris absolutum, quia, ut supra vidimus, non solum ab hominibus sed etiam a diis Jovi in rebus humanis gerendis disertis verbis summa tribuitur potestas ac providentia; fati autem, ut inde imperium ejus in Jovem ipsum cognoscatur vel jure conjici possit, nusquam mea quidem sententia mentio fit. Mirum vero esset, si Homerus, cujus maxima virtus in eo posita est, quod in deorum rebus heroumque ingeniis depingendis admirabili simplicitate atque perspicuitate usus est, ea quæ ad fatum pertinent, tantopere in obscuro posuisset. At numen quoddam fatale, quo non minus Jovis quam ceterorum deorum potestas esset inferior, postero demum tempore cogitari coeptum est, quum in rebus divinis multa quidem mutata magisque exulta sunt, tamen unius dei omnibus numeris absoluti tenere homines non potuit cogitatio. Sed usque ad Croesi tempora fatum eadem ratione atque Homeri ætate cum Jove cunctum fuisse constat, et tum demum quidquid esset deorum et hominum fato esse subjectum nec quemquam effugere posse imminentem perniciem opinio occurrit, cujus rei auctor est Herodotus, qui tradidit (lib. I., 91) Pythiam ipsam Lydis a Croeso ad oraculum consulendum missis, respondisse hæc: τὴν πεπερωμένην μοίρην ἀδυνατὰ ἔστιν ἀποφυγέειν καὶ θεῶ

Verum enimvero quantopere poetæ illi clarissimi tragicæ Musæ, Aeschylus potissimum et Sophocles, hac in re imitati Homerum, ut omnia ad Jovem auctorem referrent nixi sunt! Præclara enim arte, qua nihil tota antiquitate magis admiramur, in eo maximam operam posuerunt, ut summam Jovis in rebus humanis moderandis potentiam prædicarent ejusque amplificarent præpotentem naturam, cujus et numina fatalia et ceteri dii essent ministri. Quæ opinio ut magis magisque tota Græcia confirmaretur, oraculum delphicum, cujus in rebus divinis maxima fuit auctoritas, quam plurimum contulit, id quod non contemnendus auctor tradidit Pausanias, qui docet, in templo Apollinis loco tertiæ μοίρας effigiem Jovis Μοιραγετοῦ atque exadversus Apollinis, divini consilii auguris, statuam positam fuisse. Cfr. Paus. X., 24, 4. Nunquam vero tam exultantem opinionem de fato ac ratione, qua id cum Jove cohaeret, poetæ tragici aliique pronuntiassent, nec tam plane quæ Homerus e suo consilio fabulis mythisque tantum expressit, docuissent, nisi jam in superioris temporis fabulis jactum fuisset fundamentum, quoniam hac lege obstricti sunt homines, ut nihil nisi quod vel naturæ humanæ innatum vel aliquo modo a majoribus sit traditum, sensim ac pedetentim evolvant atque explicent. Quum igitur prima initia et quasi semina omnis rerum divinarum scientiæ ex Homero, uberrimo fonte, repetita esse

constet, unde etiam tragica Musa multa argumenta tractanda sibi sumpsit, nihil esse existimo, cur dubitemus, lucis aliquid inde haurire. Jam vero ostendam, quibus argumentis ex Homero ipso petitis mea sententia nitatur, demonstraturus, ex iis, quae de fato in carminibus Homeri leguntur, jure conjici non posse, summam vim in rebus humanis gerendis esse fato, cui vel ipse Juppiter oboediat.

Primum mihi praestituendum esse videtur, quid nomina, quibus Homerus utitur, ubi fati mentionem fecit, proprie significant quoque in connexu legantur. Pertinent huc vocabula *μοῖρα*, *μόρος*, *αἴσα*, et quae inde derivata sunt adjectiva *αἴσιμος*, *ἐναίσιμος*, *μόρσιμος*, ex quibus *αἴσα* et *μοῖρα* propria notione partem vel portionem significant; cfr. Π. κ, 252:

... παρῳχῆκεν δὲ πλέων νύξ
τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἔτι μοῖρα λέλειπται.

Π. δ, 170.

αἶ κε θάνης καὶ μοῖραν ἀναπλήσης βιότιο

illo loco tertia noctis pars, hoc vero vitae portio, quam quisque sortitus est, significatur. Praeterea conferantur haec, quae saepissime in Homeri carminibus occurrunt: *ληΐδος αἴσα*, *ελπίδος αἴσα*; nondum omnis spes erepta est; *σπλάγγων μοίρας*, *μοῖρα χάρας* atque similia. Inde exstitit justae et debitae partis significatio ac notio ejus, quod aptum et aequum est sive quod decet. Sic saepissime occurrit: *ἐν μοίρῃ* dictum de eo, quod recte agitur et *κατὰ μοῖραν* significat id quod decet. Neque alia est ratio vocabulorum, quae a voce *αἴσα* derivantur: *αἴσιμος*, *ἐναίσιμος* — *ἐξαίσιος*. Itaque *τοῦτο γ' ἐναίσιμον οὐκ ἐνόησεν* eodem sensu dictum est, quo *κατὰ μοῖραν ἐνόησεν* = opportune (Od. β, 122) *ταῦτα αἴσιμα εἶπες*: vera dicis sive id quod opportunum est. Rex moderatus ac benignus *αἴσιμα εἰδώς*, injustus vero *ῥέξας καὶ εἰπὼν ἐξαίσιον* vocatur (cfr. Π. ζ, 521. Od. κ, 383) *οὔτε τινὰ ῥέξας ἐξαίσιον*: neque afficiens aliquem injuria (cfr. Od. δ, 690).

Non semper autem quae modum excedunt, injusta sunt, sed permagna et gravia, quo sensu usurpata est vox „*ἐξαίσιον*“ Π. ο, 598, ubi Thetidis *ἀργήν* poeta vocat *ἐξαίσιον*, i. e. gravem, *μεγάλην* quia gravissimarum rerum causa exstitit. Quo et Π. ρ, 577 pertinet *ἢ τινὰ πον δείσας ἐξαίσιον*: plus justo sive nimis.

Sed saepissime *μοῖρα* et *αἴσα* de iis, quae hominibus fato destinata sunt, usurpari solent; quaecunque enim mortalibus sive secunda sive adversa eveniunt, *μοῖραν* eorum nominat Homerus. Ad prosperas res spectat *μοῖρα* Od. ν, 76 cui opposita est *ἀμμορία*:

μοῖραν τ' ἀμμορίην τε καταθνήσκῶν ἀνθρώπων

et Π. γ, 182:

ὦ μάκαρ Ἀτρεΐδῃ, μοιρηγενές, ὀλβιόδαιμον,

ubi *μοιρηγενές* de beata sorte humana intelligendum est: beatus, quem nascentem placida fortuna excepit vel potius quem ipsa fortuna genuit. Saepius vero de rebus adversis, de morte potissimum tamquam sorte omnibus communi dictum est. Cfr. Od. λ, 160: *τεὲν δ' ἐπὶ μοῖραν ἔθρηκεν*. Quam ob rem et conjuncta leguntur *μοῖρα καὶ μόρος*, *φόνος καὶ μοῖρα*, *θάνατός τε μόρος τε*, quae mortem et necem significant. Itaque Achilles *ὀκίμορος* et *ὀκνημορώτατος* appellatur, et Apollo, qui Agenoris specie sumpta deceperat Achillem fugiensque fortissimum Achivorum a pugna longius abduxerat, instanti hosti tandem aperit, se haud *μόρσιμον* i. e. morti obnoxium esse. Quum vero de fortuna et sorte hominum mentionem injicit poeta, utrumque nomen *μοῖραν* et *αἴσαν* usurpasse videtur ad numen quoddam significandum, quod aliis locis mala cujusvis generis, aliis mortem ipsam hominibus statuere dicitur, cujusque potestas ita est comparata, ut non posse videantur non evenire quae *αἴσιμα* sive *μόρσιμα* esse dicuntur. Agamemnon enim in Graecorum

contione se cum Achille in gratiam rediturum esse, discordiae illius perniciosae culpam sibi attribuendam esse negat, sed a Jove et fato animo suo injectum esse furorem atque dementiam. Cfr. II. τ, 87. Sine ulla autem dubitatione ex his locis cognoscitur, *μοῖραν* numinis locum obtinere: Od. β, 99. ὅτε κέν μιν μοῖρ' ὀλοῇ κατέλυσε. Od. γ, 269. μοῖρα ἀπέδησε et II. γ, 5. μοῖρ' ἐδάμασσε II. π, 849 ἀλλά με μοῖρ' ὀλοῇ ἔκτανεν. Idem apertis verbis ipsa Juno dicit: (II. v, 127.)

... ὕστερον αὐτε τὰ πείσεται, ἄσσα οἱ αἶσα
γιγνομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

Et Hecuba, quum Achilles Hectoris interfecti cadaver indignum in modum honore sepulturae privatum projecisset, filii interitum lugens

τῷ δ' ὄς, inquit, ποθι μοῖρα κρατεῖη,
γιγνομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκον ἀντή.

Si igitur *μοῖραν* et *αἶσαν* numen significat, quod suam cuique sortem impertiat, jam quaeritur, quale hoc fati numen esse Homerus statuerit, quaeque ratio inter fatum et Jovem aliosque deos intercedat. Jam supra memoravimus, fuisse qui putarent, fatum illud homericum esse potentiam quandam neque ullo vinculo cum diis conjunctam et temere dominantem, quae non minus deorum quam hominum libere agendi facultatem aliqua ex parte dissolveret. Ubi vero ex ipsis poetae carminibus petiveris argumenta, quibus sententia illa confirmetur, vix ulla invenies. Nihil enim argumento est, quod fatum mortalibus sortem ἐπινηῆσαι dicitur, quia et Juppiter et ceteri dii res vel secundas vel adversas ἐπικλώσασθαι perhibentur nec peculiare hoc est *μοίραις* istis. Leguntur enim haec: (Od. α, 17.)

ἀλλ' οὐ μοι τοιοῦτον ἐπέκλωσαν θεοὶ ὄλβον.

Od. δ, 208.

... ὅτε Κρονίων

ὄλβον ἐπικλώσῃ γαμέοντί τε γεινομένῳ τε.

Od. θ, 579.

τὸν δὲ θεοὶ μὲν τεύξαν, ἐπεκλώσαντο δ' ὄλεθρον
ἀνθρώποις

Cfr. Od. v, 196. II. ω, 525.

Huc quum accedat, quod paucis tantum locis fatum eadem fecisse perhibetur, quae alias a deorum consilio repetenda esse vidimus, facere non possum, quin credam, poetae animo obversatam esse humanam formam. Quis enim unquam dubitavit, quin Homerus id quod omnibus omnium temporum poetis licet, rebus inanimatis et ideis animam induerit agentesque eas introduxerit? Eadem enim ratione in personas mutavit *λίτας*, *ἄτην*, *κῆρας* (cfr. Od. ξ, 207: τὸν κῆρες ἔβαν θανάτοιο φέρονσαι εἰς Ἀΐδου δόμους. Od. λ, 171 κῆρ ἐδάμασσε) multaque alia, quae poetae sibi indulgenti non populari opinioni assignanda esse vel ipsa imaginum varietas ostendit. Quare mirum non est, si sententia in contrariam conversa nonnullis viris doctis probata est, qua fati eadem esse atque Jovis decreta dicuntur, id quod eo minus habet offensionis, quominus a natura humana alienum est; nam nostro etiam tempore, quamvis christianis mysteriis initiati deum omnipotentem non modo orbem terrarum sed etiam minutissima quaeque, quae accidunt hominibus, regere edocti simus, in omnium ore est illa dicendi ratio, qua casus quidam fortunae non tam ad deum ipsum quam ad fatum quoddam referri solet.

Quo igitur jure fatum idem atque Jovis decretum significare contendant, jam pluribus exemplis docendum est. Cujus sententiae argumenta in eo cernuntur, quod multis locis quas res *μοῖρα* perfecit, easdem ab ipso Jove vel ab aliis diis peractas esse exponit Homerus. Hectorem quum ceteri Trojani oppressi in urbem refugerent, solum fato exitiali retentum esse docet (II. χ, 5) idem poeta, qui alio loco (II. ε, 297) ipsum Hectorem a Minerva deceptum fingit querentem, se a diis ad mortem appetendam esse vocatum. Et Patroclus moribundus quamquam Hectori primum quidem dicit: (II. π, 84.)

. . . . σοὶ γὰρ ἔδωκε
νίκην Ζεὺς Κρονίδης καὶ Ἀπόλλων, οἳ μ' ἐδάμασσαν
ἑηϊδίως

tamen nonnullis verbis interjectis pergit:

ἀλλὰ με Μοῖρ' ὀλοή καὶ Ἀητοῦς ἔκτανεν νόος

quae verba eandem rem modo Jovi aliisque diis modo fato ipsi attributam esse docet.

Et Lycaonem Homerus ita dicentem facit:

(II. φ, 82.)

. . . νῦν αὖ με τεῆς ἐν χερσὶν ἔθρηκε
μοῖρ' ὀλοή· μέλλω πον ἀπέχθεσθαι Διὶ πατρὶ
ὅς μὲ σοι αὐτίς ἔδωκεν.

Idem igitur, qui modo se Achilli fato traditum esse dixit, confestim versu qui sequitur ad explicanda quae procedunt, se Jovi invisum atque ab eo ipso deceptum esse queritur. Adde quod Agamemnon culpam injuriae, qua Achillem affecerat, in Jovem, *μοῖραν* Erinnyesque transfert II. τ, 86:

. . . . ἐγὼ δ' οὐκ αἰτιός εἰμι,
ἀλλὰ Ζεὺς καὶ μοῖρα καὶ ἡεροφοῖτις Ἐριννύς.

Juppiter enim ut consilium suum perficeret ad Graecorum principem Ἄτην misit, quae (ibid. 91) *πρέσβα Διὸς θυγάτηρ* appellatur, Erinnyes autem additae esse videntur, ut Agamemnon, sicuti a Jove constitutum erat, statim injuriae, quam in se admiserat, poenas daret.

Quo cum loco conferas, quod II. ν, 410 legitur:

. . . . οὐδέ τοι ἡμεῖς
αἰτιοί, ἀλλὰ θεός τε μέγας καὶ μοῖρα κρατειή

ubi per figuram quae ἐν διὰ δυοῖν vocatur, Jovem et fatum pro Jovis fato dictum esse patet. Simillimus his est locus II. χ, 301. Hector Minervae fraude patefacta quum in summum discrimen esset adductus, Jovi et Apollini *μοῖραν* suam videtur assignare, quorum deorum ope antea se ait vicisse. Oratione enim his verbis incepta:

ὦ πόποι ἦ μάλα δὴ με θεοὶ θάνατόνδε κάλεσσαν

ita pergit:

. . . . ἦ γὰρ ῥα πάλαι τόγε φίλτερον ἦεν
Ζηρί τε καὶ Διὸς νιεῖ Ἐκηβόλω, οἳ με πάρος γε
πρόφρονες εἰρύατο· νῦν αὐτέ με μοῖρα κυχάνει.

Praeterea conferas locos jam supra (p. 18) laudatos II. ω, 527 sqq. et Od. ο, 488.

Teste igitur Homero quod fato attribuitur etiam Jovis potentia perfectum esse cogitandum est, unde apparet, fatum non esse Jove superius. Cujus sententiae argumenta multo firmiora in eo

cernuntur, quod innumeris locis leguntur: *μοῖρα θεοῦ, μοῖρα θεῶν, δαίμονος αἴσα, Διὸς αἴσα* atque similia, ita ut, quae nunc *θεοῦ μοῖρα* nunc *Διὸς βουλή* nominentur. Cfr. Od. λ, 292:

. . . . χαλεπή δὲ θεοῦ κατὰ μοῖρ' ἐπέδησεν
et ibid. 297:

. . . . Διὸς ἐτελείετο βουλή.

Atque adeo *θέσφατον* illud, oraculum quo deorum voluntas aperitur, significans, etiam de eo, quod fato destinatum est, dicitur, ita ut eadem qua *μοῖρα* notione usurpetur, id quod maxime elucet ex his duobus Odysseae locis: (Od. κ, 473.)

εἴ τοι θέσφατόν ἐστι σωθῆναι καὶ ἰκέσθαι

et Od. ι, 532:

ἀλλ' εἴ οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλονς ἰδέειν καὶ ἰκέσθαι
οἶκον ἐνκείμενον . .

unde liquet, verba: *εἰ θέσφατόν ἐστιν* idem esse atque: *εἰ μοῖρ' ἐστίν*. Accedit quod *μοῖρα* et *Διὸς νόημα* de eadem re usurpantur; nam Π. ψ, 80. Patroclus dicit Achilli:

καὶ δὲ σοὶ αὐτῷ μοῖρα, θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ
τείχει ὑπο Τρώων εὐγενέων ἀπολέσθαι

atque de ejusdem sorte Achillis Π. ρ, 406 leguntur haec:

. . . . ἐπεὶ οὐδὲ τὸ ἔλλετο πάμπαν
ἐκπέρσειν πτολίεθρον ἄνευ ἔθεν, οὐδὲ σὺν αὐτῷ
πολλάκι γὰρ τόγε μητρὸς ἐπέυθετο, νόσφιν ἀκούων,
ἧ οἱ ἀπαγγέλλεσκε Διὸς μεγάλιο νόημα

quae nisi de morte Achillis praematura a Jove ipso praestituta atque cum Thetide communicata intellegi non possunt.

At vero quamquam ex omnibus quos laudavi locis fatum nihil aliud nisi Jovis decretum esse apparet, tamen nonnulli alii apud poetam inveniuntur loci, ex quibus diversum esse fatum a Jovis decreto summique dei potentiam fato invito nihil valere multi viri docti sibi visi sunt.

Restat igitur ad tuendam nostram sententiam argumentis, quibus potissimum illi viri nixi fato vel ipsum Jovem oboedire contenderunt, animum advertamus.

Jovem legimus nonnullis Iliadis locis librasse lancibus quum singulorum hominum tum populorum sortes sive *κῆρας*, quod in proeliis potissimum factum esse videtur. Hoc autem ipsum affertur contra eam, quam nos defendimus sententiam¹⁴). Dicunt enim, Jovem, cui sua ipsius providentia aliqua ex parte non suffecerit, dubium quid faciendum sit, libra sumpta fati voluntatem explorare voluisse. At vero si heroica aetas credidisset, Jovem non sui ipsius sed fati potius decreta, quae ei essent exploranda, exsequi, qui fieri potuit, ut non solum omnia apertis verbis ad Jovem summum omnium rerum humanarum auctorem Homerus referat, sed etiam quae futura essent, hominibus eum praedicere doceat. Ipse enim quae eveniunt mortalibus per se habet cognita. Cfr. Od. ν, 75:

. . . . ὁ γὰρ τ' εὖ οἶδεν ἅπαντα
μοῖραν τ' ἀμμορίην τε καταθνήτων ἀνθρώπων.

Quam ob rem praesertim quum a victis incusetur *κακῆ Διὸς αἴσα* et multis locis legatur:

Ζεὺς ὄστ' ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο τέτυκται

¹⁴) Cfr. Creuzer, Symb. II., p. 457. Naegelsbach, Homer. Theol. p. 121 Hammer: de Jove hom. p. 6.

quis est qui dubitat, quin hac dicendi ratione sublimis deliberantis imago exprimatur? Quod enim II. 9, 69. legimus, ubi *δίω κῆρε* Trojanorum et Achivorum librat Juppiter et II. 7, 210 Hectoris et Achillis, Homerus ipse uno loco ita interpretatur, ut eluceat, eum librae usu nihil aliud nisi Jovis meditationem significare. Nam II. π, 644 legimus:

. οὐδέ ποτε Ζεύς
 τρέψεν ἀπὸ κρατερῆς ὑσμίνης ὅσσε φαιινώ,
 ἀλλὰ κατ' αὐτοὺς αἰὲν ὄρα, καὶ φράζετο θυμῷ

 ὦδε δέ οἱ φρονέοντι, δοῦσασατο κέρδιον εἶναι.

Nonne simili ratione spectat ad Jovis meditationem, quod II. π, 658 de Hectore, qui Jovis consilio jam desperans et ipse fugit et fugere jubet Trojanos, legitur:

. . . . γνῶ γάρ Διὸς ἱρὰ τάλαντα¹⁵).

Item Ajax cedit Hectori, quod

γνῶ κατὰ θυμὸν ἀμύμονα ῥίγησέν τε
 ἔργα θεῶν, ὃ ῥα πάγχυ μάχης ἐπὶ μῆδεα κείρε
 Ζεὺς ὑψιβρεμέτης Τρώεσσι δὲ βούλετο νίκην.

Ubi igitur de rebus gravissimi momenti agitur Homerus Jovem meditantem atque secum animo sapientique consilio perpendentem induxit, et aptissima usus imagine libram finxit, cujus in lancibus sortes mortalium impositae sunt, ut inde justissimo judicio suum cuique tribui a supremo deo appareat¹⁶).

Alii afferuntur loci ad probandam sententiam eorum, qui Jovem decreta fati, utpote se ipso superioris numinis, exsequi putant. Juppiter autem quum in Calypsus insulam Mercurium adlegaret, qui Nympham Ulixem demittere juberet, mandatis suis haec adjecit:

ὦς γάρ οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους τ' ἰδέειν καὶ ἐκέσθαι
 οἶκον ἐς ὑψόγορον καὶ ἐὴν ἐς πατρίδα γαῖαν

quibus ex verbis meo quidem judicio colligi non potest, Jovem ea quae fatum statuerit, perficere; perspicue enim docuit Homerus, deos in concione decrevisse, ut Ulixes in patriam rediret: Cfr. Od. α, 16:

ἀλλ' ὅτε δὴ ἔτος ἦλθε περιπλομένων ἐνιαυτῶν
 τῷ οἱ ἐπεκλώσαντο θεοὶ οἰκόνδε νέεσθαι

et ibid. 82. respondit Minerva Jovi in deorum contione, quomodo Ulixes in patriam rediret, deliberanti:

εἰ μὲν δὴ νῦν τοῦτο φίλον μακάρεσσι θεοῖσιν
 νοστήσαι Ὀδυσῆα

¹⁵) Itaque Bothius recte interpretatus est: „er erkannte den Finger Gottes“ cfr. Bothe ad h. II., p. 325.

¹⁶) In hac dicendi ratione imitatus est Homerum Aeschylus, cui locus homericus II. 7, 209 ansam praebuit fingendae *ψυχοστασίας*, in qua tragoedia Juppiter Achillis et Memnonis fata pensitavit. Cfr. Aeschyl. Suppl. 735 et Pers. 319. Praeterea antiquorum Daniel propheta similiter locutus est 5, 27: „appensus fuisti lancibus et inventus es minore pondore.“ Et inter recentiores poetas Gleimius eadem usus imagine in epinicio Rosbacensi ita canit:

„Gott aber wog bei Sternenklang
 Der beiden Heere Krieg;
 Er wog, und Preussens Schaale sank,
 Und Oestreichs Schaale stieg.“

Itaque Mercurius quoque priusquam mandata referret, ne forte Calypso resisteret, deam de Jovis potentia admonuit his verbis:

ἀλλὰ μάλ' οὐ πως ἔστι Διὸς νόον αἰγιόχοιο
οὔτε παρεξελθεῖν

Huc apte referas locum II. v, 300, ubi Neptunus vociferatur

ἀλλ' ἄγεθ' ἡμεῖς πέρ μιν ὑπ' ἐκ θανάτου ἀγάγωμεν
μήπως καὶ Κρονίδης κεχολώσεται, αἶ κεν Ἀχιλλεύς
τόνδε κατακτείνῃ· μόριμον δέ οἱ ἐστ' ἀλέασθαι.

Ceteris enim diis quum curae esset, Jovis consilia exsequi, ut pium Aenean, Jovi carissimum servarent, Neptunus deos hortatus est. Itaque Mars, qui filium a nece defendere volebat contra Jovis consilium, qui lege vetuerat, deos auxilio venire proeliantibus, ne quid vel irae vel cupiditati indulgerent, auxilium ei laturus metuit, ne aperti criminis gravissimas poenas dare deberet. Cfr. II. o, 115 sqq.

Juppiter igitur, quem fato non paruisse satis apparet, optimo jure de se gloriatur:

οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον οὐδ' ἀπατηλόν,
οὐδ' ἀτελεύτη τόν γ', οἷ κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

Sed summum Jovis in fata mortalium imperium non est quidquam, quo magis declaretur, quam quod morti omnium communi interdum praedam eripit, ut Ganymedem, Rhadamanthum, Menelaum aliosque, qui favore ejus aut in Elysio vitam beatam degunt, aut deorum societati admittuntur¹⁷⁾.

Hanc autem potestatem ceteris diis negatam esse dicit Minerva Od. γ, 236:

ἀλλ' ἢ τοι θάνατον μὲν ὁμοῖον οὐδὲ θεοὶ περ
καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύναται ἀλακμέμεν, ὅπποτε κεν δῆ
μοῖρ' ὀλοῇ καθέλῃσι πανηγέγος θανάτιο.¹⁸⁾

Ceteri enim dii nihil aliud nisi mortem differre aut properare possunt, cujus opinionis multa exstant argumenta cfr. Od. δ, 752. II. δ, 11.

Nonnunquam autem eadem dicit Minerva difficile esse, mortalem ab interitu servare i. e. mortem differre, non quod diis omnino non esset vis prohibendi, sed quia fieri posset, ut Jovis voluntati hoc repugnaret. Cfr. II. o, 141. Jove enim adversante ceteros deos nihil perficere posse multis argumentis ostendit Nitsch l. c.

Denique restat, priusquam huic commentationi finem impono, ut ὑπὲρ αἴσαν, ὑπὲρ μοῖραν, ὑπὲρ μόρον breviter exponam. Ac jam supra quidem vidimus, ὑπὲρ αἴσαν id significare, quod non decet, non aequum est; ὑπὲρ μοῖραν autem sive ὑπὲρ μόρον ea fiunt, quae aliter eveniunt atque fato constituta sunt, ita ut summo rerum humanarum moderatori repugnent. Saepissime enim promiscue leguntur ὑπὲρ αἴσαν, ὑπὲρ Διὸς αἴσαν, ὑπὲρ μόρον, ὑπὲρ θεόν. Huc pertinet praeter locos supra allatos II. π, 780: καὶ ποτε δῆ ῥ' ὑπὲρ αἴσαν Ἀχαιοὶ φέρτεροι ἦσαν: Achivi, quae erat eorum vis ac virtus, supra modum erant fortes¹⁹⁾. Alio sensu nec tamen iis, quae de fato disputavimus, contrario cum aperta fati notione dictum est ὑπὲρ αἴσαν. II. ζ, 487:

οὐ γὰρ τις μ' ὑπὲρ αἴσαν ἀνήρ' Αἶδι προΐαψαι.

¹⁷⁾ Cfr. II. ε, 265. v, 232. Od. δ, 561—ε, 334. λ, 602. ο, 250. Nitsch I, p. 180. (Idem in fabulis apud posteros, ut de Tithono in hymno ad Aphrod. 212, qui hymnus eo majoris est momenti, quod proxime ad genuina Homeri carmina accedit. Cfr. God. Hermann's epist. ad Ilgenium in ed. hymn. p. 89. sqq. de Eudymione Apoll. I, 4, 5—6.

¹⁸⁾ Cfr. Nitsch ad. h. l. I. p. 179.

¹⁹⁾ Qua dicendi ratione comparari licet illud Thucydidis: δυνατώτεροι αὐτοὶ αὐτῶν ἐγγίγοντο.

Nam ὑπὲρ αἴσαν significat h. l. priusquam mortis hora deorum consilio destinata mihi erit. Cfr. Π. χ, 358. ρ, 321. Ex iis locis, ubi ὑπὲρ μόρον occurrit, celeberrimus est Od. α, 34, quo ipse pater deorum.

. οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ inquit (ἄνθρωποι)
σφῆσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν
ὡς καὶ νῦν Ἀγισθοῦς ὑπὲρ μόρον. . . .

Nimirum Aegisthus eo quod Agamemnone necato Clytemnestram in matrimonium duxerat, nefarium scelus in se admiserat, a quo non erat prohibitus a diis, quia in iis, quae ad leges morales pertinent, libera utuntur mortales voluntate. Ita enim optime existimabant veteres, admoneri quidem homines a diis, ne quid sceleris committerent, vi tamen non arceri. Cfr. vers. sq. Aegisthus igitur non a diis in pravitatem adductus est, sed sceleris sua ipsius culpa commissi gravissimas dedit poenas. Quotiescunque vero mortales eo libertatis progrediuntur, ut multa, quae non ad leges morales pertineant, contra fatum fieri potuisse videantur, saepius ne fierent neve Jovis summi rerum humanarum moderatoris consilia subverterentur, deorum ministerium interposuit poeta. Itaque Aeneam cum fortissimo Achivorum duce congressum Neptunus per aerem abduxit ereptumque de Achillis manibus prohibuit, ne ὑπὲρ μοῖραν mortem oppeteret. Cfr. Π. ν, 318—339. Od. ε, 436.

Contra Jovis consilium in patriam redire conati sunt Achivi Π. β, 155. Immo vero ipse fatorum rector metuit, ne ὑπὲρ μόρον Achilles Trojam expugnaret sive ne vis ejus tanta esse posset, ut fatum i. e. si Ciceronis verbis uti licet (de Div. I., 55) ordinem seriemque causarum perverteret. Nam Π. ν, 30. δαίδω, inquit, μὴ καὶ τεῖχος ὑπὲρ μόρον ἐξαλαπάξῃ, quibus cum verbis compone, quae legimus Π. φ, 516:

αὐτὰρ Ἀπόλλων Φοῖβος ἐδύσετο Ἴλιον ἱερὴν
μέμβλετο γάρ οἱ τεῖχος ἐϋδημήτιοι πόληος
μὴ Δαναοὶ πέρσειαν ὑπὲρ μόρον ἧματι κείνῳ.

His autem locis, ut sententia suppleta sit, subjungendum est: εἰ μὴ Τρώεσσιν ἐπαρήξομεν, quod quum effugeret multos, quibus nihilominus incredibile visum est, Jovem fatorum ordinis bene gnarum timuisse, ne Achilles sua virtute Ilium expugnaret, hoc uno versu (Π. ν, 30) ejecto tres alios substituerunt:

οὐ μὲν τοι μοῖρ' ἐστὶν ἔτι ζωῶν Ἀχιλλῆος
Ἴλιον ἐκπέρσαι εὐναιόμενον πτολίεθρον
ἔκπερσε δουράτεος Ἴπιος καὶ μῆτις Ἐπειοῦ

quos versus a poeta aliquo cyclico profectos ad Homerum auctorem esse translatos verisimile est.

Nam vixit alios significat p. I. praequam mortis hora deorum nobilitate hostiata nisi erit. Oly. II. x. 358. p. 321. Ex his locis ubi vixit vobis occurrit. volentibus est Oly. p. 34. quo ipse pater deorum.

... of 66 xai vobis iudicij (vixit)

vixit vobis iudicij vixit vobis iudicij vixit vobis iudicij

... of 66 xai vobis iudicij (vixit)

Nimirum Agathas eo quod Agathas vocato (Agathas) in matrimonium daretur. nefarium scelus in se admiserat, a quo non est prohibita. die quis in die quo ad leges morales pertinet, libera stantur morales voluntate. In eam optime existimant vobis, admodum quidem homines a die, ne quis sceleris committerent, si tamen non nocent. Oly. vers. ad. Agathas igitur non a die in pravitate adductus est, sed vobis sua ipsa culpa commisi gratissimas dedit potius. Quodsecundum vero morales et libertatis procedunt, ut malis, quo non ad leges morales pertinet, contra latum fieri potius videatur, scilicet ne licent neve Jovis summi totam humanam moderatorem consilia subvertentur, deorum ministerium interponit poeta. Itaque Joveam cum fortissimum dicit congressum Neptunus per necem abduxit creptumque de Achillis manibus prohibet, ne die vobis mortem oppetret. Oly. II. p. 318-322. Oly. p. 438.

Contra Jovis consilium in partem vobis consilii sunt Achivi II. p. 156. Immo vero ipse latum treor mortis, ne die vobis Achillis Neptunum expugnet sive ne vis eius tanta esse possit, ut latum i. e. si Ciceronis verbis ut licet (de Div. I. c. 50) ordinem scelerum canentium perterret. Nam II. p. 30. de die, iudicij, vixit vobis iudicij vobis iudicij, quibus cum vobis componere, quae legimus II. p. 518:

vixit vobis iudicij vobis iudicij vobis iudicij

vixit vobis iudicij vobis iudicij vobis iudicij

vixit vobis iudicij vobis iudicij vobis iudicij

His autem locis, ut sententia suppleta sit, subiungendum est: si ne Teubner vixit vobis, quod quam obsecrat multos quibus diffidentibus invidiosus vixit est, Jovis latum encliticis verbis quibus similes, ne Achilles sua virtute illum expugnet, hoc uno versu (II. p. 30) eicte tres alios substituit:

vixit vobis iudicij vobis iudicij vobis iudicij

vixit vobis iudicij vobis iudicij vobis iudicij

vixit vobis iudicij vobis iudicij vobis iudicij

quos versus a poeta vixit vobis iudicij vobis iudicij vobis iudicij esse translatos veritatis est.